


## DEKOMPOZYCJA

Hoc proelio trans Rhenum nuntiato Suebi, qui ad ripas Rheni venerant, domum reverti coeperunt. quos ubi, qui proximi Rhenum incolunt, perterritos senserunt, insecuti magnum ex his numerum occiderunt. Caesar una aestate duobus maximis bellis confectis maturius paulo quam tempus anni postulabat, in hiberna in Sequanos exercitum deduxit. hibernis Labienum praeposuit, ipse in citeriorem Galliam ad conventus agendos profectus est. (CAES. Gal. 1.54)



His nuntiis litterisque commotus Caesar duas legiones in citeriore Gallia novas conscripsit et in ita aestate in interiorem Galliam qui deduceret, Q. Pedium legatum misit. ipse cum primum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit. dat negotium Senonibus reliquisque Gallis qui finitimi Belgis erant, uti ea, quae apud eos gerantur, cognoscant seque de his rebus certiores faciant. hi constanter omnes nuntiaverunt manus cogi, exercitum in unum locum conduci. tum vero dubitandum non existimavit, quin ad eos proficisceretur. re frumentaria provisa duodecimo die castra movet diebusque circiter xv ad fines Belgarum pervenit. (CAES. Gal. 2.2)